



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714**

§. IV. Satisfit objectis contra numerum 62.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

## §. III. Dissertationis I. Articuli VII.

*An doctrina Superior procedat etiam de Religiosis Episcopis, & Promotis ad beneficium inferius Episcopatu.*

DE hoc vide à num. 397.

## §. IV.

*Satisfit objectis contra numerum 62.*

63. **O**bjicies primò multos Canones, sententias Patrum, & Conciliorum, quibus dicunt bona superflua Clericorum esse Pauperum: Clericos non esse Dominos, sed Administratores, Procuratores, &c. eosque si in profanos usus expendant esse fures, & sacrilegos, sed si ita est, pauperes habent jus ad rem relatè ad superflua, proinde Beneficarij non sunt plene eorum Domini. Ergo, *Resp.* Primò si Adversarij ex Canon. sanctis Patribus &c. Volunt evincere intentum, debent etiam ipsi negare Beneficarios esse Dominos congruè sustentationis, habentes Patrimonium: nam ut habetur *Can. Clericos causa prima. q. 2.* S. Hieron. scribens ad Damasum Papam ait: *Ecclesia stipendijs sustentari convenit eos Clericos, quibus nulla Parentum suffragantur bona: qui autem bonis parentum possunt sustentari, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt.* Et S. Prosper, *Can. Pa-*

*stor Ecclesie citato loco dicit: Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat accipiunt, & tamen Adversarij concedunt nobiscum Beneficarios esse Dominos congruè sustentationis: quis neget seculares esse plene Dominos superfluatorum? & tamen simili loquendi modo utitur D. August. Epist. 58. ad Bonifacium comitem virum militarem relatus Can. final. c. 12. q. 1. si privatam, inquit, possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuracione nobis usurpacione damnabili, vindicamus.*

*Resp.* Secundò Canones aliquos conditos esse ante factam divisionem, quo tempore erant omnia communia Clericis; aliquos loqui post divisionem, ac erecta Beneficia pro casibus, in quibus constabat de portione separata pauperum: idcirco simplicius Gaudentium Episcopum obligabat ad restitutionem per *num. 60.*

Alios

Alios loqui de bonis stabilibus, ac proprijs Ecclesiarum quorum proprietates non est penes Clericos in particulari sed in communi per numerum 61.

Pariter explicandi sunt sancti Patres, quorum aliqui intelligendi sunt de casu necessitatis extremæ, in qua, ut videbimus sic egentes habent jus ad rem, & potentes ex justitia tenentur sublevare illos. Deinde Patres aliquos loqui hic exaggerativè passim notant Theologi cum Vasq. Lugo, &c. Sicut D. Bernardus *Epist. 2 Art. 4. & lib. de considerat. ad Eugen.* Pontificem Laicos Divites pauperibus non subvenientes vocat homicidas.

64. Objicies secundò cum Gormaz ea obligatio stringit Beneficiatos, quam omnes sancti Patres supponunt, atqui obligationem superflua expendendi ex justitia in Pauperes omnes Patres supponunt, ut August. ad Bonifacium Comitem *Epist. 50.* Hieronym. ad Damasum *relatus Cap. quoniam quidquid causa 16. q. 1. Quoniam inquit quidquid habent Clerici, pauperum est.* Hinc expendentes Clericos in profana vocant fures, sacrilegos.

Confirmatur primò si Beneficiati essent Domini superfluum, forent vel jure Hæreditario, vel donatione, neutrum dici potest: de primò est certum. Secundum probatur, quod bona Ecclesiæ sint bona DEI per *Trident. Sess. 25. c. 1. de Reform.* Sunt Patrimonium Christi, nec Ecclesia valeat donare bona superflua, cum duntaxat ea administret: unde habetur *Can. non liceat, causa 12. q. 2. Non liceat Papa prædium Ecclesiæ alienare.*

Confirmatur secundò Res DEO consecrata soli administrationi, secùs Dominio Clericorum subsunt: sed etiam por-

tio destinata sustentationi Ministrorum est res DEO consecrata: Nam S. Thom. 2. 2. q. 99. *Artic. 3. Corp.* Quadruplicem speciem sacrilegij seu irreverentiæ contra rem sacram tradit pro totidem generibus rerum sacratum videlicet rerum, ut sunt Sacramenta, vasa ac reliqua DEO consecrata, item locus sacer, ac personæ factæ, demum ea, quæ sunt, inquit D. Thom. *deputata ad sustentationem Monasteriorum, sive sint mobilia, sive immobilia, quicunque autem quodcunque prædictorum peccat, crimen sacrilegij incurrit.*

*Resp. C. Ma. n. Mi.* ad cujus probationem dico exaggerativè dici Ecclesiasticos ex superfluis non succurrentes egentibus esse fures, sacrilegos, Raptores: idque patet primò ex D. Bernardo relato in fine *num. 63* August. est contra Adversarios: loquitur enim ad Laicum per citatum numerum. Si sanctus Hieronymus citatus stricte intelligendus est, sequitur, quod etiam Patrimonialia, & quasi Patrimonialia Clericorum spectent ad pauperes contra Adversarios, igitur exaggerativè loquitur, ut manifestè colligitur ex alijs ejusdem verbi relatis. *Can. hospitalalem distinctione 42.* Ibi: *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria continere probatur.* Præterquam quod S. Hieronym. Ambros. & August. præcesserat Simplicium Papam, sub quo primum facta est divisio bonorum Ecclesiæ, ante quod tempus fuerunt communia:

Ad Confirmationem primam dico Beneficiatos factos esse seperfluum Dominos per ipsam Divisionem, dum decimarum fundorumque redditus eis in partem sustentationis sunt assignati clarèque probatur ex D. Thoma 2. 2. c. 185. *Art. 7.*

*in 3. Ibi: De his autem, qua sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, qua de proprijs bonis (quantum ad hoc, quod est eorum dominium possidere, ut scilicet, propter indeterminatum affectum, & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.*

Ad id, quod dicitur de bonis Ecclesiae esse res DEI, & Patrimonium Christi, constat ex numero 31. qua phrasim potissimum tangit ipsas Ecclesiarum fundationes, unde etiam expedit, ut fructus inde collecti pro sustentandis Ministris superflui, expendantur in cultum DEI, & pauperes, qualiter esse expendendos juxta canones dicitur à §. sexto citra tamen obligationem justitiae.

Ad Confirmationem secundam nego Ma. si sermo sit de fructibus. Ad Minorem, & ad Authoritatem S. Thomae, Resp. Eum loqui de deputatis ex consequenti in sustentationem Ministrorum, principaliter autem attributis necessitatibus pauperum, ut sunt bona hospitalium & alia hujusmodi ex doctrina D. Thomae in fine num, 61. relati: Similia enim bona sunt DEO consecrata, proinde eorum abusus est sacrilegium, secus principaliter data in usum Ministrorum ut numero 62. ex eodem, & ex proximè citato articulo patet.

65. Pro Reliquis soluen dis Nota primò. Constare ex numero 62. respectu quorum bonorum Beneficiati sunt Procuratores, dispensatores, &c. Secus bonorum, ipsis applicatorum, vel etiam si respectu horum dicendi sint tales, id non fit defectu Dominij, sed quia ex obedientia, & charitate debent erogare pauperibus, qua etiam de

causa dicuntur esse Pauperum, Christi- que Patrimonium. Deinde dicuntur sic pro tempore nondum divisim erectorum Beneficiorum, ac etiam post divisionem de jis bonis, de quibus constat assignata ea esse pauperibus.

Nota secundò ex bonis illis pauperum, ubi de jis non liquet sunt probabiliter erecta beneficia, aut hospitalia, aut alia pia loca a iuthoritate Pontificum, aut cum ea portio lege humanà debuerit ex justitia Pauperibus dari, potuit contraria consuetudine abrogari juxta Vasquez Lugo & c.

Nota tertid negari in beneficijs, ubi non exstat portio pro Pauperibus esse commixta cum portione beneficij consequenter etsi pauperes ante erecta beneficia habuerint jus ad eam, non sequitur habere jus adversus tales Beneficiatos, cum enim ignoretur cui sit applicata, Clericis, an saecularibus Principibus, &c. Pauperes non plus juris habent contra Clericos, quam saeculares, igitur dejecti sunt de jure suo ( non per commutationem, hoc enim incumberet probandum Clericis, non per commixtionem, hoc deberent probare Pauperes ) sed vel erectione novorum beneficiorum, aut contraria consuetudine, ut proximè dictum.

Nota quartò quost de jure communi de redditibus Ecclesiasticis sint verita testamenta non probare eos non subesse Dominio Clericorum adequato adaequatione etiam juris, ut patet in pupillis filijsfamilias, fidei commissarijs, qui sunt Domini pleni prohibiti testari.

Nota quintò si Beneficiatus facit aliquos fructus suos, nulla est ratio negandi de cæteris, non est paritas ab hærede, de quo sic objicitur, hæres tatem,

fatem, ergo adeundo hereditatem facit omnia sua, non enim legata facit sua. Disparitas enim est, quod constat de voluntate testatoris, ut legatum transeat ex

justitia ad legatarium uti & in fidecom-  
misso, ut ex justitia jus totum migret in  
tertium.



## §. V.

*An fructus commendæ & pensiones Patrimonialibus adnu-  
merandæ, & in quo sita sit congrua sustentatio.*

66. **C**ertum est primò Beneficiarios posse quovis modo de se licito disponere de Patrimonialibus, & quasi Patrimonialibus *ex numero 60. & 61.* Dubitatur primò an quasi Patrimonialibus accensendi sint fructus commendæ, quæ aliud non est, quam facta alicui commissio cum temporali emolumento: si fit cum spiritali administratione, dicitur spiritalis commendæ, ut fit, dum alicui committitur cura Ecclesiæ, non in titulum, sed commendatur illi, si verò fit ad ministerium temporale, aut alio titulo merè laico in stipendium, & præmium militiæ, uti fit in commendis militaribus, dicitur sæcularis, seu militaris.

*Resp.* Ad dubium negativè de fructibus commendæ spiritalis cum Lugo *Disput. 4. n. 33.* & communi quia commendator succedit Beneficiatis in horum munere, ergo etiam in eorundem oneribus, affirmativè verò de fructibus commendæ laicalis, quia in his commendis militaribus D. Jacobi Alcantaræ, &c. Fructus sunt pura stipendia pro servitijs temporalibus, ita Moya *in appendice ad questionem selectarum ad tract. 6. Disp. 6. q. 2. §. 6. n. 28.* post Soarez, & Palao, &c.

Dubitatur secundò de pensionibus, an inter quasi Patrimonialia reponendæ? est autem pensio jus percipiendi fructus ex alieno beneficio justa de causa ad tempus, vel in perpetuum. Est triplex, nempe purè Laicalis, seu data ob titulum merè sæcularem ut quæ militaribus equitibus, aut Principibus ab Ecclesia conferuntur ob merita ab ipsis, aut eorum majoribus exhibita, aut imposterum sperata, hoc titulo Reges Hispaniæ ex omnibus ferè beneficijs tertiam partem fructuum percipiunt, huc spectat portio ob munus temporale collata Cantoribus, Procuratoribus & Advocatis Ecclesiarum.

Secunda est Ecclesiastica, seu spiritalis propter munus seu Ministerium spiritalis obeundum, talis est assignata Coadjutori Episcopi aut Parochi tenis, aut pro alio munere spiritali.

Tertia est, quæ absque titulo Clericali datur Ecclesiasticis, ut fit in permutationibus, & renuntiationibus Beneficiorum, aut in Compositionibus, nempe dum lis componitur super orto in Beneficij dubio Sanch. *lib. 2. Consil. 6. 2. dub. 47.* Addens hanc etiam non dari pro ullo

Officio